



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XXX. De eo quod supra 24. cap. Significavit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

sententiam promulgauit: post cuius excommunicatio-
nem, qui vice nostra fungebatur, te fecisti in episcopum
consecrari. Cumque dilectus filius noster Martinus cano-
nicus beati Iacobi firmiter asseueraret, quod in legatione
regis esses & non potuisses ad vocationem prædicti cardina-
lis accedere, cardinalis econtra asseruit, quod non in le-
gatione regis, sed in Salmantina ecclesia te nuntius suus in-
uenisset, tibi que dixisset, quod non in alia ecclesia esses *
quæsiturus. Et cum iterum ex parte tua fuisset propositum,
quod venerabilis N. archidiaconus Prædanus appellauit,
tuam etiam appellationem interposuisses, cardinalis adiecit,
quod appellatio illa te tueri in parte illa non potuit,
quin ad illius vocationem accedere tenereris. Nos vero at-
tendentes, quomodo te non decet contemnere, obtentu
appellationis, ad vocationem cardinalis venire: fraternita-
tem tuam monemus, mandantes atque præcipientes, qua-
tenus vel in propria persona, vel per idoneos nuntios apo-
stolico conspectui te præsentem, innocentiam & immuni-
tatem tuam, si poteris, ostensurus.

CAP. XXIX. *Idem R. Cantuariensi archiepiscopo.*

Præterea de his qui iuramentum præstant, quod sta-
bunt iudicio ecclesiæ, & postea præstito iuramento appel-
lant, id tua sollicitudo prouideat, vt eos seruare quod iu-
rant, vel infra quadraginta dies post appellationem inter-
positam iter arripere ad ipsam prosequendam compellas.

CAP. XXX. *Idem eidem.*

Relatum est auribus nostris quod si quando episco-
pi suffraganei tui vel archidiaconi prouinciæ tuæ super
aliquo certo negotio ad audientiam nostram appellant,
episcopatus & archidiaconatus suos nostræ & Romanæ
ecclesiæ subiiciunt, & cum appellant, ad annum interim
de suis vel suorum subditorum excessibus cognoscere non
permittunt, sed omnem iustitiam tibi euacuant & suspendunt.
Volentes igitur pastoralis sollicitudine prouidere, ne
appellationis obtentu detur eis audacia grauiora commit-
tendi, auctoritate apostolica tibi duximus responden-
dum, quod si præfati episcopi & archidiaconi, quando
appellauerint ad audientiam nostram, & episcopatus &

Appellante
in eo solo
tutum, de
quo appel-
lauit.

Concil. Tom. 27.

Cccc ij

archidiaconatus suos sub protectione apostolica posuerint, pro eorum appellatione nullatenus pratermittas, quin de causis & de excessibus subditorum suorum, & de suis propriis excessibus, si qui manifesti sint & notorii, his dumtaxat exceptis, super quibus appellatum est, cognoscere possis, & super his statuere, quod secundum iustitiam videris statuendum.

CAP. XXXI. *Idem Vintoniensi episcopo.*

Super eo vero quod a nobis tua quærendum duxit discretio, vtrum videlicet propter incidentem quæstionem sub qua fuerit appellatum, tota principalis causa, quæ commissa est iudici, appellatione remota, terminanda, debeat indecisa relinqui: inquisitioni tuæ duximus respondendum, quod si quæstio incidens talis fuerit, quod sine ea principalis causa non possit terminari, propter interpositum appellationis obstaculum, totius causæ cognitioni debet de iure deferri, donec superior iudex, ad quem super prædicta quæstione est appellatum, aliter de tota causa disponat.

CAP. XXXII. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

Significauerunt nobis dilecti filii N. prior & canonici sanctæ *Frides Vuihæ, quod super causa quæ inter eos & canonicos de Osenia, de ecclesia sanctæ Mariæ Magdalene vertitur, de mandato nostro coram venerabilibus fratribus nostris *Exoniensi & *Cistrensi episcopis tractaretur, & ad audientiam nostram appellassent, iidem episcopi canonicos de Osenia in possessionem ipsius ecclesiæ, causa rei seruandæ iudicauerunt induci: & postmodum iidem episcopi literas commissionis nostræ, quas super causa receperant, diligentius intuentes, & videntes appellationem alterutrius partium in eisdem literis non fuisse inhibitam: quæstione facta a Xenefordensi archidiacono, mandauerunt vt omnia in eodem statu seruaret, in quo tempore factæ appellationis fuisse dinoscitur. Interim vero canonici de *Osenia, in præscriptam ecclesiam irruerunt, & ibi manere volentes, a ministris S. *Frides VVerichæ eiectioni fuerunt: Deinde canonici de *Osenia, ad Lundensem & VVigornensem episcopum literas nostras impetrauerunt, conti-